MICHAELIS TARCHANIOTAE MARVLLI NENIAE.

Eiusdem Epigrammata nunq̃ alias impressa.

M. ANTONII *Flaminij Carminum libellus.*

Eiusdem Ecloga Thyrsis.

M. Antonius Flamininus Achilli Phileroti Bochio: S. P. D.

Vide quāti apud me sis. Libellum, quem petieras, cum istic essem, impressum ad te mitto, in qua quidem re non paruum lucrum fecisti, neq;.n. minus tibi q; mihi homines debebunt, ꝙ Marulli Nenias in lucem dederim, cum scient, me tua potissimū causa hoc fecisse. Nosti igitur, quantum ipse mihi debeas. uerum ego, ut sum liberalis, tantum a te peto, ut Democritum tuum ad me mittas, qui cum spero me tam diu risurum, ut omnes animi curas, & mœrorem, quem ex Lygdæ amoribus concipio, sim d̄positurus. Vale.

Michaelis Tarchaniotæ Marulli Con
stantinopolitani Neniæ.

DE ACERBITATE FORTVNAE.

NOs circum medio freto
Cyrnus pulsa tenet uix Boreæ truci
Ereptos ope cælitum.
Olim cyrnus auis Romulidis potens:
Nunc pubes Nomadum fera
Natura referens sæuitiem loci.
Et iam quarta uidet dies
Aut uulsis male radicibus improbam
Solantes misere famem:
Aut quos clausa tenēt æquora: piscibus.
Tu pugnas quereris tamen
Infelix animæ & te sine prælia
Gesta tot Caroli tui:
Dum speras itiner cōmodius freto.
Qui si non mihi nuncij
Vani, iam tyberim & mænia romuli
E truscis domitis tenet:
Campanisq; ferox imminet hostibus.
Quāquam hæc haud noua deniq;
Nunc sors flenda mihi. nā paries uelut
A Euo exesus & imbribus:
Inclinatus abit, quo semel incipit
Præceps: Sic miseri altera
In fata ex aliјs mittimur. Heu dolorem

Indignum, neq; iam quies:
  Aut spes effugij urgentibus est deis.
Nam quæ non grauior mihi
  Lux effulsit: & hesterna inimicior.
Ex quo primum utero editus:
  Materno iubar hoc hausi oculis puer
Mitto nunc patriæ graues
  Occasus miser: infandaq; funera:
Mitto tot solo ab ultimo
  Vrbes: tot populos excidio datos.
Quæ grauissima scilicet
  Haud priuata queror. Nõ equidẽ inscius
Quam fœdi ingenij sua
  Solari mala cõmuniter a speris.
Sed quis est ita perditus
  Vnus, qui patriæ: & ciuibus optimis
Dedignetur idem pati:
  Cõmunemq; Deum non ferat æquiter.
Nos fortuna nocens rogo
  Ereptos patriæ: & ciuibus optimis,
Humanis graue uiuere
  Exemplum dedit heu rebus: ubi improba
Noctes luderet: & dies
  Incertum uolucri nixa pedem rotæ:
Et nec flectere eam domus
  Infandus Cinis: & funera adhuc queunt
Nec tot exilia aspera:
  Et regum: atq; ducum sæua odia: ac minæ
Seruatam egregie obsidem:

Quin ipsas quoq; iam affligere contumax
Ecce amicicias parat.
Et lauri meritam clade noua mei
Funestauit atrox domum,
Erepto gemini pignoris altero.
Infelix Auerardule
Non iam delitiæ: Sed miseri patris
Aeternæ lachrymæ: & dolor.
Quæ te care puer uis rapit effera
Nil miserta parentium.
Huius præcipui tot proceres tuos
Inter dia fluentia,
Illius genitæ sanguine regio.
Nil domus: miseris modis
Quæ tota attonita: atq; igne Iouis uelut
Tacta mæret inutilis
Aeque præsidium quondam inopi, ac reo,
Aeque dulce decus deum
Lætis sorte bona. Seu genus hospites:
Siue illi patriæ domo:
Parte & generis pignora ciuici.
At pater miser ah miser
Ponendis superum diuitias suas:
Tot templis pius erogat
Nequicquã: & ueterum certat opes patrũ
Largis uincere sumptibus
Nequicquã. quis. N. præterea neget
Humana omnia casibus
Incertis fluere: atq; impete horæ leuis.

Quæ mortalia prouehi
  Iam pridem inuidia sæua uetat deum.
Nam quot spes ea publicas
  Tecum. quas rapuit magnanimæ indolis.
Scintillas patruo ac patre
  Dignas. ut misere: non pueriliter
Perpessus spatium luis.
  Vix ingressus adhuc uer breue septimum.
Vt matris lachrymas piæ
  Solatus, tenera sæpe etiam manu
Tersisti irriguas genas.
  Vt solem hunc miserum gentibus: & diem
Tam carum puer haud semel
  Spreuisti: ut pote cui maior erat uigor.
Iam tum mens erat altior
  Humana. Neq; .n. conditionibus
Nobiscum huc paribus puer
  Missus de patria cælite ueneras.
Hac ut mole uidelicet
  Clausus corporea: & carcere ferreo
Errorum male penderes
  Pœnas primigeni nil meritus patris.
Sed terris breue inertibus
  Ostensus, liquidi rursus in ætheris
Sancta templa recederes
  Consors Ambrosiæ: & nectaris aurei.
Illinc spes hominum leues
  Et cæcos animi despicis impetus.
Incertum miserans magis

Irridens ne puer factaq; dictaq;
Tot nostra: & superum uides
Quã nil munere adhuc est homini datum:
Nec longa miserum magis
Vita: Nec celeri morte beatius.

NENIA,

HAec certe patriæ dulcia littora
Contra saxa iacent, hæc pelagi ĩpetu
Huc propulsa graui bosphorici freti
Plangunt hesperium latus.
Ipse non ne uides mitius aurulæ
Vt spirant. memores unde uidelicet
Tantum innata potest rebus in omnibus
Natura: & patrium solum.
Quid, tantis spacijs monstriferi æquoris
Tanto tempore post lassulæ adhuc tamen
Halant nescio quid, qđ patriam: & nouis
Mulcent aera odoribus.
Felices nimium: uespere quæ domo
Egressæ redeunt mane aquilonibus
Versis: nec peregre perpetuo exigunt
Aetatem exilio grauem.
Felices sed enim multo etiam magis
Si tantum patriæ fluminibus suæ
Et primi solita littoris algula
Contentæ lateant domi.
Nec longinqua uelint flumina uisere

Et terræ varios: & pelagi sinus.
Quæ multum referant deinde rogantibus
Vergentem usq; sororibus
Ad noctem. quis .n. suavia nesciat
Auditu. & vacuis apposita auribus.
Quæ diversa locis hæ referant domi.
Mille ex hausta laboribus:
Inter quæ memorant mutua dum invicem
Quæruntq;: admonitæ forsitan & mei:
Narrant nūc Boreæ sedibus intimis
Visum: qua vagus alluit
Rhodos Mosta suos: nunc Bice lintea
Dantem plena: modo littora bacica
Scrutantem inveterum sæpe ē patrum
Curæ impervia plurima:
Interdum galatas: sive Britannias:
Seu quæ lata serunt æquora Theutones.
Interdum Budue mænia nobilis:
Et nondum domitam Bragam.
Sed nec ruricolam messe recondita
Tam lætum: aut patrio deniq; nauitam
Portu: Nec teneram flavi ita coniugis
Gaudentem gremio nurum:
Quātum hæc terra meis grata laboribus.
Extremos cupiam condere ibi dies
Iam nec militiæ: nec satis amplius
Viæ erroribus utilis.
Quamvis nescio quæ cælicolum impia
Arcent fata procul: nam totiens quia

Victores cadimus rursus: & inuicem
Parta linquere cogimur,
Cernis, qui populos uexat agens furor,
Quæ nomen rabies publica belgicum
Contra tot superos suppliciter pijs
Orantum precibus modo,
Non hæc non temere insania gentibus,
Ni mirum populos magnæ agitant minæ
Cælestum, & Stygiam Thesiphone ferox
Sæuit concutiens facem.
Exquo terra potens ubere agri, potens
Armorum, atq; uirum, pars merito optima
Terrarum, studio partis & improba
Inter se inuidia ducum
Implorauit opes primitus Exteras,
Nec Normãna modo: nec iuga Bethica,
Nec fastus domini ferre sueuici
Turpe credidit italiæ.
Heu heu Quæ uideo bella resurgere,
Quãto sanguine: quis funeribus lues
Infelix geminæ perfidiæ nefas
Iam non parthenope amplius.
Olim quæ totiens maluit emori
Quam seruare minus fortiter ac decet
Vrbem tot meritis egregiam patrum
Inconcussam animo fidem
Est in gente nocens culpa: quis hoc neget,
Sunt exempla feris cõmoda belluis,
Sed non propterea regi ita protinus

Succensendum erat optimo.

Verum nos soliti monstra pati diu
Culpamus facilem principis in suos
Naturã: & uitio uertimus improbe
Quæ miranda opibus magis
In tantis.neq;.n.est sanguine cætea
Humano, & uolucres pascere regium,
Nec punire statim pleraq; pulchrius,
Quam ferendo retundere.

De morte Ioannis Medicis.

At nos senectæ præsidium grauis
(pro Sortem iniquam), & pieridum chori
Condigna sperabamus in te
Prænia tot studijs responsa.
Nam quis te adempto iam locus artibus,
Quæ spes amico est, occidis, occidis
Hortator, exemplumq; laudum
Ante diem mihi Iane raptus.
Quanuis ruinis obstrepo publicis
Priuata lugens, qualiter insuber
Cultor paterni damna agelli
Tecta pado rapiente, & urbes.
Nam nec cadentis græcia Achillei
Sic fracta leto est, nec cito tam suum
Desyderauit Iulianum
Roma fero minitante partho.
Qualis minaces pertulit impetus
Orbata tanto præside Thuscia,
Confessa nunc demum quid esses

Inuidiam superante laude.
Nam quis iuuentam ploret amabilem
Condigne, & ipso tempore egentibus
In nulla non momēta, opes q;
Diuitias, studiumq; promptum.
Nunc illa duris mens subit exilij
Inuicta damnis, nunc reditus pij,
Iræq; condonatæ amori,
Et patriæ meritis benignæ.
Nunc cura patri prouida publici
Furorq; plebis sæpe domestica
Lenitus impensa, famesq;
Alpe uias dare ui coacta.
Ergo senatus delicias suas,
Spes uulgus, artes præsidia uniter
Amissa plorantes in uno
Perpetuant sine fine questus.
Multiq; laudes dum memorant tuas
At nos deorum scilicet inquiunt
Curæ futuri, quisquis ista
Imperio moderatur unus.
Simulq; abortis fletibus arduos
Tulere uultus ad fera sydera,
Cœlumq;, Fortunamq; questi
Et precium meritis negatum.
Nam quid relicti te sine lachrymas
Fratris, quid orbam præsidio domum
Dicam, nec aspectus heriles
Adueniens subitura in æuum

Felix decẽnis Petre puertiæ
Tot damna nondum qui tua concipis,
Nec quid sit amissum per annos
Scire potes patruo cadente.
Implumis olim qualis Acredula
Ignara matris, quam calamo ferox
Auceps prehensam febrienti
Forte dapem dedit esse nato.
Nos terq;, & ultra nos miseri ingeni
Sensusq;, quis (heu) uiuere nec licet
Amice iam tecum, nec ultra
Esse libet sine te relictis,
Sed longa uitæ tempora inutilis
Querendo noctes carpimur, & dies
Post ista securi deorum
Inuidiæ, Nemesisq; acerbæ,

Ad Carolum Regem Gallorum,

Dum Tu fugaces Rex Catulis feras
Sectaris altum per nemus, & diem ex
Die trahendo cara perdis
Tempora non redeuntis anni,
Heu heu rebelles quam uereor minas
Ne fractus hostis, cornuaq; interim
Resumat in fœdam ruentis
Imperij: populiq; cladem,
Nam nec tuorum iniuriæ: & improba
Vis cessat inquoscunq; sine hostium
Delectu amicorum ue, ut ipsi
Iam noceant magis hoste amici,

Et ille sollers temporis occupat
Recte gerendi singula nomina,
Nec praeterire occasionem
Praecipitis sinit acer horae.
Hinc illi Amici, praesidia hinc noua
Crescunt, nec aut iam Sphortia spiritus
In te rebelles, Pontifexq;
Dissimulant, odiumue caelant.
Aut ipse hiberus, nam Venetos tibi
Iam pridem acerbos tute met efficis
Persuasus infidis tuorum
Consilijs male uenditisq;,
Ergo modo extors, & pariter deis,
Mortalibusq; infensus & omnibus
Exutus armis, regno, amicis,
In solium rediyt paternum.
Ipsoq; iam iam plura fere tenet
Victore uictus. Quae tamen (heu pudor)
Tenere non confisus olim
Integer imperijq;, opumq;.
Quod si qua regni tot tibi principum,
Ducumq; si qua est siqua tot urbium
Vestrarum, honesti, splendidiq;
Si qua animo tibi cura demum,
Iam te precamur sume age spiritus
Dignos, & istam inuicte moram exue,
Quid fraudolentam crastinando
Das cinerem Boreae mouere,
Nil derepente est cernere maximum.

Curandus æger, dum medicabilis
Eſt plaga, nec totos per artus
Mortiferum ſubijt uenenum.
At ipſe demens heu patriam quoq;
Fingebam, & alti mœnia Boſphori
Quandoq; uiſurum fugata
Auſpice te ſcythia ſuperba.
Nunc parta noſtro ſanguine linquimus
Hoſti tenenda, & quod pudeat magis,
Lucro imputamus, ſi quis ægræ
Conſuluit fugiendo uitæ.
I nunc tuorum Carle potentiam
Regnorum: & armis Belgica robora
Mirare: dum Campana Cæde
Luxurient ſata Gallicana.
Vt nempe uincas: deniq; quæ tibi
Viciſſe amicis gloria perditis,
Feris ne tradendæ tot urbes
Exitio populis tributis,
Qui te ſuorum ſanguine, qui ſuo
Fecere, ſi non ipſe uetas, herum
Non Rhoſiarum, Caucaſiq;,
Italiæ ſed.n.beatæ.
Hos deſtinatus nunc uacuam ſinis
Si predam, & armis obijcis hoſtium
Seruando cum ſis, debeaſq;,
Non homines tibi defuiſſe,
Deos ue, Sed (quod dicere abominor)
Scies amicos, iura, fidem, Deos,

Fas, famam, honestatem, decorum,
Deniq; te tibi destitutum.

Ad Antonium Baldracanum,

Baldracane Aganippidum
Custos sancte, quid est tam meritũ optime
De teq; & patre iam sene,
Et quas secula amant, perdere turpiter
Artes ingenij impigri,
Cur non flere die, non uenientibus
Astris desinis aureis,
Et manes lachrymis sollicitas patris:
Non est (crede mihi) ut putas
Baldracane pium, de superum queri
Decreto, neq; debitam
Naturæ, atq; deo sortem animantibus
Cunctis ferre modestius.
An tu tantus homo, uel sapientiæ,
Doctrinæq; putas tuæ,
Nulla quærere ope rem reparabilem,
Vel non fœminei ingeni,
Absumi misere fletibus improbis,
Vixit pene dies Pyli
Felix, siue genus nobile respicis,
Seu casti sociam tori,
Seu, quos rara solet sors dare fortibus,
Dignos se patre liberos.
Nam quid tot memorem principibus fidem

Laudatam, atq; animi integri
   Dotes ſecla ſuper degenerantia
Aetatis male maſculæ.
   Nunc conuiua uelut ꝙ fuerat ſuper
Mortali genito ſatur
   Vitæ ſi reuolat patrium ad æthera,
Nil hic non modo ꝙ fleas.
   Sed cur non potius iudice gaudeas
Aequo, qualis olympiæ.
   Olim uictor ubi puluere ſtrenuo
Decurſo ſpacij ſacri
   Lætus fronde comam preſſit amabili.

FINIS.

Michaelis Tarchaniotæ Marulli Constantinopolitani Epigrammata nunquam alias impressa.

Ad Ecnomum

Quæris qua niteat docto coma pte Catullo,
Proximus Arcturo fulgor, & Erigone est.
Virginis, & sæui cõtingens nanq; Leonis
Lumina calisto iuncta lycaoniæ.
Flectit in occasum tardum dux ante bootem,
Qui uix sero altô mergitur oceano.
Quæ tu si relegens ubi sit coma regia quæris
Ecnome aquas medio quæris in oceano
Quannis quid relegas uitiis miser inuidiaq;
Perditus, ingeniis candor inesse solet.
Ergo dum omnia conturbas, dũ credere doctis
Negligis, & per te nil sapis ipse tamen
Fecisti oarionem ex Erigone, ex Arcturo
Hydrochoũ, iam quod monstrũ erit ĩpa coma,

In Monillum

Versus scribere nos putat Monillus
Quod nimis faciles. parum disertos,
Nec quales lepidi sonent Cetegi,
Quos noster probat unicos Monillus,
Atqui non lepidis ego Cetegis,
Si nescis. quid. n. uenuste mecum
Ante tot rogo sæcla funeratis,

Verum annis studeo meis placere
Notus uel studeo labore nullo
Exemplo monitus fui Cetegi,
Quem tecum probo non loquor Monille.
Nam suadæ populis medulla dictus
Nil Remo dedit optimus legendum.

Ad Isabettam Gonzagam Ducem Vrbini.

Quod nomen taceam tuum Isabetta,
Et uix tot bona Sæculis priorum
Vlli nobilibus parata curis,
Nedum istis miseris meis in annis,
In queis nec pudor æstimatur assis,
Nec mos, ingenium ue, quod solebat
Tunc ire imperia ante, & ante honores,
Non est, cur ideo nihil merenti
Irasci grauius uelis Marullo,
Qui prius quoq; non bonus poeta
Nunc uero & serie diu laborum
Infractus timet ah timet fatemur,
In te tot bona sæculi, tot artes,
Et dignam Paphiæ decore formam
Culpa deterere ingeni minoris

In Sacerdotum auaritiam.

Quis male uirginea gladiũ suspendit in æde,
Telaq; non hominum tincta cruore semel,
Ista parens pietatis, & impia facta perosa
Amouet a templis ipsa suis Maria

Et tamē hæc recipitq; libēs, laudatq; sacerdos,
Nimirum laudat quæ capit ipse sibi.

In Cominium.

Seruatus mō naufragio cū mercibus Anglis
Gratus opum partem das Comini superis.
Diuitiasq; tuas templisq;, arisq; deorum
Congeris: & credis sic satis iis facere.
Infelix, quid.n. sperasti numina mundi
Magna tuis donis, & stipe posse capi,
Fas comini rectumq; deis pietasq; sacrāda est,
Si nescis, hominum cætera non superum.

De filio Auli

Quæ lux pgeniē optatā dedit, abstulit aulo,
Sed grauior luctus luctibus ipse modus.
Nam bene uix cōtacta infans uagiuerat aura
Afflatus subito cum Iouis igne perit.
At mater: q̄to ante īquit miserande crematus
Finisses nostras tecum etiam lachrymas.

De Diogene & Aristippo

Nudus Aristippo nudo canis obuius umbris
Sub stygiis, ubi nunc aurum ait est siculū.
Nunc saltem illecebris disces luxuq; carere,
Teq; hiro cui uis esse putare putarem.
Ille senis leua barbam, & sordentia uellens
Menta pares, si non uiximus, hoc satis est,

Ad Hylam

Ore prius pleno solitus laudare iugatos
Cur nunc laudator cælibis es thalami,
Quodq; magis mirum, cū morē, & cōiugis ar
Cum faciem cælo laudibus ipse feras. (tes,
Crede mihi nō ista tori, nō culpa maritæ est,
Sed quis Hyla natas sex rogo pauper amet.

In Posthumum

Aedificare, cāesq; & equos & pascere mimas,
Promptum iter ad nudam est posthume (pauperiem.

De Miseria uitæ

Heraclite, & Democrite, hic ridere paratus,
Tu contra lachrymis cuncta rigare tuis.
Dicite, quo uitam mortalem auctore deorum
Tam bene iudicio dispari uterq; notat,
Certe equidem reputās mortalia uos ego scire
Pace dei, solos uos puto ego sapere.

Diuo Georgio

Loricam, Thoracam, ocreas, coxalia, conum,
Campāum, & rarum Messagæ opus galeā,
Atq; lacertale utrunq;, atq; humerale, litamq;
Hastā auro, geminæ tegmīaq; ipsa manus,
Et gladiū, & focale tibi hic dico fixa Georgi,
Pertæsus sæcli militiam sterilem.

De Domillo cæco ferente claudum

Claudi iuuatus lumine impositi humeris
Cæcus Domillus, huc & huc per uias,
Vrbisq; tantæ flexuosa compita
Graditur inoffensus, & acerba incõmoda
Alterius alter cõmodo pensat suo,
Defecta membra subleuantes inuicem.
Sic nec Domillus cæcus, atq; ille ambulãs,
Nil non docente peruicacis ingeni
Necessitate, & improba indigentia,
Oedipodæ dignũ ænigma, mancus ut pote
Neuterq; uterq;, uterq;, neuterq; integer.

De Carolo Gallorum rege

Placatus, mitisq; suis ubi multa nefanda
Censura Carolus uidit egere sua,
Cur regno, aut uita nõ possum cedere hõeste,
Dummodo cũ regno cedam ait & gladiis,
Dixerat, heu subito caræ cum coniugis ulnis
Concidit, atq; animum reddidit, ut petiit.
Crudeles superi, semperq; in dira parati.
Optatis neq; uis nec deus utilibus.

Epithaphium eiusdem.

Post maria, & t̃ras domitas restabat olympus
Hunc quoq;, sed nimiũ rex petis añ diem.

F I N I S.

M. Antonius Flaminius Ludouico Sperantiæ. S. P. D.

Litteras a te mihi Posthumus noster reddidit in quibus a me summis precibus contendis, ut aliquid nugarum mearum cum Marulli Neniis emittam. Hoc equidem præsenti tibi non tribuerem, sed absenti negare non possum. Itaq; decē ex nostris odis cū Thyrside ecloga, & nonnullis epigrammatis ad te mitto, quæ tuo & Francisci Polyardi iuuenis in utraq; lingua eruditissimi iudicio diligenter explorato dabis imprimēda. Nec me latet, q; plures fore, qui me nomine impudentiæ accusent, φ uix duodeuiginti natus annos tantum mihi arrogem, ut non dubitem, uersus meos populo legendos præbere, atq; in lucem dare. Verum ego detractoꝝ maledicta cum mea hac parendi facultate pensabo. Horatium Bichardum iuuenem doctissimum saluto. Vale.

Vrbini. iii. idus Septembres. M.D.XV.

Marci Antonij Flaminij adulescentis Amœnissimi Carminum Libellus.

Ad Litauium Sperantiam

Non semper rapido Cynthia belluas
Cursu persequitur, nec miseris solet
Semper lethiferum Delius impiger
Arcum tendere gentibus.
Aut regina suum Calliope melos
Noctes atq; dies continuat, neq;
Ipsis perpetuo sæuit in ignibus
Infestus ueneris puer.
Tu nunq; studijs ocia tristibus
Interponere amas, sed magis indies
Pallentem sequitur cura scientiam,
Atq; alti labor ingeni.
At contra sapiens q; bene Socrates
Doctus cum pueris ludere, sic grauis
Olim panthoides seria mollibus
Condibat cytharæ modis.
Quin & Scipiadæ Lælius abdito
Laurenti uarias littore conchulas
Certabat legere, ut grandia publicæ
Curæ tædia ponerent.
Iam mittas Litaui quære rere, quæ dei,
Quæ natura animæ, quid Iouis inferat
Astrum, curue senex falcifer impio

Terras lumine fascinet.
Indulge potius, dum licet, ocio:
Et solare leui Flaminium lyra,
Mœrentem ob dominæ dissidium chloes
Et Lygdæ noua prælia.

In Dianam

Virgo syluestrum domitrix ferarum,
Maximi proles ueneranda patris,
Quæ colis cynthum uiridem, nigriq;
Syluam Erymanthi.
Bochius linguæ decus utriusq;
Doctus errantes agitare ceruos
Hanc tibi uilla media locatam
Dedicat ulmum.
Vnde ueloci domitæ sagitta
Pendeant lynces, timidiq; Damæ.
Atq; uiuacis tibi consecrata
Cornua cerui.

Ad Guidum Posthumum

Heu quantis hominum macerat ignibus
Mentes Posthume candidum
Formosæ nimium pectus Ianthidis.
Vrit siue oculos mouet
Splendentes paphio sydere pulchrius,
Seu fulua gracilis coma

Incedit ſuperi coniugio Iouis
Digna, aut pierium lyræ
Si plectro tetigit carmen eburneo.
Tu fœlix ter, et amplius,
Nec certe ſuperis inferior deis,
Quem uirgo face mutua
Torret, cuiq; magis dulcia nectare
Iungit molliter oſcula.
Non ipſe Alcinoi muneribus potens
Aut Gazis arabum inuides,
Nec uoto ſegetes inſatiabili
Fœcundæ petis Africæ
Contentus teneris nunc ſatis ac ſuper
Pulchræ uirginis ignibus.
Sed quantis ſuperum numina fletibus
Vrgebis, quoties fidem
Mutatam, ſimul & blanditijs dolos
Lamentaberis illitos,
Qui nunc conſpicuo Sidera uertice
Tangis heu nimis immemor
Quam Fortuna rota ſæpe uolubili
Alternas uariet uices.
Eſt ſciſſo lenior cortice fœmina, &
Irato improbior mari.
Quam nec blanditijs, nec gemitu minis
Aſperſo, neq; ſanguine
Iratam proprio concilies tibi
Mentem flectere neſciam.
Olim me facilis purpureæ uenus

Ardebat cynaræ, & simul
Ambos compedibus iunxerat æneis
Aspirans ueneris puer.
Nunc uersis animi conditionibus
Hæc me uiso abit, ut leuem
Auriti fugiunt si lepores canem,
Acri sæuior Hadria.

Ad Cornelium Balbum

FRustra balbe quid angimur
Frustra solliciti quid superos prece
Delassamus inutili?
An nos terribili bellua centiceps
Latratu, an Tityi iecur
Exterret lacerum, aut atra nouemplici
Styx infusa uado, & bonis
Quæ iactat puerisq;, & mulierculis
Scandens pulpita lignipes?
Quod tu Flaminium si satis audias,
Indulgens genio, & choris
Musarum, teneris non sine amoribus
Omnem tristitiam, & metus
Committes zephyris in mare caspium
Deportare fugacibus.
Nam si idem fuerit spiritus omnium, (ut
Magnus sentit Aueroes)
Ride, quid dubitas? omnia fabulæ.

De Othryade ex Græco

Ecquem othryade unq; maxime
Præstantiorem Iuppiter

Vidiſti? iniquo ex thyreæ agro
Solus reuerti noluit
In patriam, ſed fortiter
Adegit intra pectora
Ferrum tropheo ex proprio
Tibi dicato ſanguine.

Epithaphium Marulli poetæ

Non occidi uiator, ut multi putant,
Nam mortem obiſſe, fuit Marrullo uiuere.

De laudibus Mantuæ

Fœlix Mantua, gentiumq; ocelle,
Splendor Mantua Galliæ togatæ,
Quam Mars Palladi certat uſq; & uſq;
Claram reddere gentibus, probiſq;
Ornare ingenijs uirorum, & armis.
Te clæmentia cœli, & annuum uer,
Te frugum facilis, potenſq; rerum
Tellus, te celebrem facit uirenti
Qui ripa, calamiſq; flexuoſus
Leni flumine Mincius ſuſurrat.
Et qui te lacus intrat, adueniſq;
Dites mercibus inuehit carinas.
Quid palatia culta, quid deorum
Templa, quid memorem uias, & urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax ſecura loco, quieſq; nullis
Turbata exilijs, frequenſq; rerum
Semper copia, & artium bonarum.
Fœlix Mantua centieſq; fœlix,

Tantis Mantua dotibus beata,
Sed fœlix magis, & magis beata,
Quod his temporibus, rudiq; sæclo
Magnum Castaliona protulisti.

Ad Philippum Beroaldum Iuniorem

Scribes Bentiuoli fortia Principis
Tu gesta, & ligurem sanguine Iulium
Gaudentem latio, infestaq; Galliæ
Nostris agmina finibus.
Nec parco referes carmine, q̃; fera
Atrox in Selinum bella gerat Sophis,
Dum turcas animo persequitur graui
Sceptro deijcere imperi.
Nos diua idalium quæ nemus incolit,
Et lætam niueis Cypron oloribus
Visit, mæonia non patitur tuba
Regum dicere prælia,
Et thebas ueteres, primaq; Romuli
Regna, ausamq; deum tecta rescindere
Telluris sobolem, atq; excidio datum
Graijs Ilion ignibus.
Nos heu Hierophiles cogit amor, male
Ceruicem laqueo subdere dispari,
Quem nec thessalico murmure saga, nec
Duræ gramen Iberiæ,
Nec circeia queat soluere nenia.
Tu non uisa canes prælia, nos grauem
Experti dominæ sæuitiam leui
Curas eluimus fide.

Ad Lygdam.

Vnde hic tam graui incidit
Cordi error? fera quid tam male perdidit
Mentem rusticitas tuam?
Vt me nec lachrymis uicta ue mollibus
Vrsinæ illecebris tuo
Saltem colloquio admittere perfida
Digneris? satis ac super
Sæuitum in miseri fata, quid amplius
Pallentem facibus nouis
Vmbram persequeris? quid noua tendere
Quæris retia? num parum
Quæso sæuitiæ Lygda tuæ datum est,
Tantis immeritum caput
Demersisse malis? quin etiam tua
Eheu uerba mihi negas?
Quæ me uel Stygijs naufragũ aquis ualet
Luci reddere pristinæ.
O tandem melior supplicibus faue, &
Si quicquam merui, tibi
Siquando placuit seruitium meum,
Istam pone superbiam.
Quod si nec lachrymis tangeris aut prece,
Si nec te illecebræ mouent,
Queis uel semi feri quæq; nurus scythæ ac
Duri filia Concani
Cedat, saltem, animo si metus est deum,
Vltricem Nemesim time,
Quæ factura breui est, ut meritas tuæ

Pœnas sæuitiæ luas,
Ni fastu reperis dura modum tuo.
De Medea partum detestante.
Operta mauult clypeo Amazonum more
Ter prœlium committere
Medea, quā pariens semel suam castæ
Zonam Dianæ soluere.
Mirum cupit si esse absq; liberis, mater
Quos deinde facta sustulit.
Ad Achillem Philerotem Bochium.
Achille pater elegantiarum
Si Marcum tibi uis suos ocellos,
Seu quid charius est suis ocellis,
Debere, ut decet optimum sodalem,
Noli subripere obsecro, quod illi
Multo charius est suis ocellis,
Seu quid charius est suis ocellis.
Ad bacchum
Age bacche qs furō m̄ rabidū occupat? agedū
Rapior, & alta cursu celeri in nemora feror,
Vbi sacra Mœnades cum Trieterica celebrāt,
Furibunda solent uagantes agitare tripudia.
Audire uideor alto reboantia strepitu
Vbiq; æra, iam choris, iam uideor Thyasigeris
Vagus interesse turmis. Euoe mihi sola sub
Pedibus tremunt, nubes Euoe puluerea diem
Mihi rapit, adest, adest iā ꝑpāte pede cohors
Vaga, tīpanū remugit, berecynthia cornua re/
Phrygijs r̄curua stridet ḡu e tibia calāis (boāt,

Euoe uagus abit animus, euoe tremula flagris
Mihi terga quatit furor. pcc p̄cor, p̄cor, alium
Stimulis citare tantis, alios age rapidos
Per amœna Thraciæ rura, alij male capita
Iaciant reflexa, thyrsisq; feras hederigeris
Lanient, in ociosis ego sacra latibulis
Peragam, aureisq; Bacchi pia numina fidibus
Referam nouus sacerdos, tua liber initia
Cantabo, & ista, donec mihi uita supererit,
Nemora colā tibi supplex, tuus Euie famulus
Q͞d si bone pater Euantii me inserere choris
Aio est, & altæ furibundum per iuga rhodo
Agitare, tuo mihi saltem munere liceat, (pes
Rabidæ furorem ueneris compescere, & acri
Me seruitio uelis dominæ sistere uacuum.

In libellos Io. Antonij Flaminij patris.

Quot tellus zephyro soluta flores,
Quot Bruma ingerit albicans pruinas,
Quot spicæ lybiæ calent in aruis,
Quot uastis mare fluctuat procellis,
Quot nascens pluuias reportat hædus
Quot ceraunia frondibus teguntur,
Pestanisq; rosæ uirent in agris,
Quot pictis freta puppibus secantur,
Quot cœlum facibus micat serenum,
Quot sunt millia multa basiorum
Quæ dari sibi postulat Catullus,
Quotq; sunt athomi Lucretiani,

Tot menses bone Flamini tot annos
Perennes maneant tui libelli.

Ad Guidum posthumum.

Iam uer floricomum Posthume uerticem
Profert puniceo chloridis ex sinu,
Iam pellunt zephyri frigus, & horrida
Tellus exuitur niues.
Cantantes Hadriæ marmora nauitæ
Audent uelinolis currere puppibus,
Nec tendens auidis retia piscibus
Hybe nas metuit minas
Sardus, iam uirides gramina uestiunt
Campos, & tumidis palmes agit graues
Gemmas corticibus, iam uolucres suis
Mulcent aera cantibus.
At nos, dum grauibus finis eat malis
Noctes, atq; dies flemus, & intimis
Vrgemus (dominæ sic ueneri placet)
Diuum numina questibus.
Nil diues posito mensa iuuat mero,
Nil defessa quies lumina, nil lyræ
Cantus, nil uario tibia carmine
Mærorem eluere efficax.
Sed curæ heu miseri sunt animi dapes,
Sed cordis lachrymæ pocula, sed quies
Confectum rigidæ corpus humi iacens,
Sed carmen mihi flebiles
Questus, & dominæ nomina, sic mihi
Nunquam ueris eunt tempora, sic mihi

Soles non aliquo tempore candidi,
Sic mi perpetua eſt hyems.

Ad Achillem Philerotem Bochium

Ergo pro' ſuperum fides
Iſto contegitur marmore Iulia
Clarum Felſineæ decus
Vrbis, ſic igitur, ſic periit bona
oſtri mater Achillei?
Nec quicquam pietas? ſollicita in deos,
Nec quicq; integra profuit
Et mens, atq; animi candor amabilis?
Ergo tartareus ſopor
Tantæ condiderit lumina fœminæ?
Et ferro lacheſis truci
Immatura tulit ſtamina rumpere?
En quiſq; tibi cogitet
Legem perpetuis dicere fletibus,
Et deſyderio modum
Tam chari capitis ponere. lugubrem
Bochi concipe næniam,
Hic flendum, hic querulis omnia cantibus
Imple, haud aſpera nunc ſuis
Intrantem pepulit te foribus chloe,
Non non candidior niue
Faſtidit tua nunc carmina Thelephus,
Et collo dare brachia
Orantis refugit, ſed miſer, ah miſer
Mater Iulia, Iulia
Heu quondam propriis luminibus tibi, &
Vita charior occidit.

Quid laudasse sacris usq; pium iuuat
Vatem numina cantibus?
Lesboumq; agili tendere Barbiton
Plectro, ah carmina, Barbitos,
Surdorum ah ualeant numina cælitum.
Sed quid irrita fundimus
Lamenta? immeritos inuidia deos
Quid pulsamus inutili?
Omnes una eadem mors manet, ibimus
Omnes ad tenebras nigri
Plutonis, sed enim cum semel occidis,
Non forma, aut decor ingeni
Nec te sancta fides iustitiæ soror
Vitæ restituet, pius
Frustra parce nihil proficientibus
Iam Bochi querimonijs.
Maternas, aliquis si manet inferis
Sensus, credibile est, tuo
Lædi umbras gemitu. desine, desine,
Et constanti animo feras,
Quod mutare nequit dura necessitas.

Ad Septimillam.

Amabo mea chara Septimilla
Vbi blanditiæ, libidinesq;
quas in me facere antea solebas?
Cum me delitias, tuas, tuamq;
Spem & solatiolum tuum uocabas
Adiurans nihil esse in orbe toto
Me uenustius, elegantius ue.
En nunc Flaminius tuus rediuit

Vrbinum mea chara Septimilla,
Secum millia multa basiorum,
Secum illum quoq; passerem elegantem
Ferens, quem in manibus tuis tenere,
Qui cum ludere sæpe gestiebas.
Dic mi blanditias, libidinesq;
In me fac mea uita Septimilla,
Nam te plus oculis meis amaui
Semper, assidueq; amare pergam,
Donec mors tenebsis operta nostrum
Funesto caput ore deuorabit.

Laurus Alexandri Horlogij.

Laure conspicuo uirens
Semper tegmine frondium,
Quas nec improba frigorum,
Nec sæui rabies noti
Læto priuat honore.
Te canam nemorum decus
Arborumq; uirentium,
Inter quas ita gloria
Præstas, ceu teneras super
Vites tollitur Alnus.
Iratæ fugiens minas
Iunonis celeri ut pede
Latona orthygiam attigit,
Te uisa gemini statim
Soluit pondera fœtus.
Hinc tantis meritis parem
Phœbus reddere gratiam
Quæ. ens horrificum neci

Vt Pythona dedit, tua
Cinxit tempora fronde.
Dein uocalibus Aonum
Syluis inseruit, te ubi
Lactis fluminibus leues
Nymphæ, & capripedes rigant
Dulci nectare Fauni.
Nec colles heliconios
Dextro contigerit pede
Te quisq; sine, nam prius
Ex lauro capiunt sua
Sancti præmia uates.
Quin & limina cæsarum
Victoremq; etiam tuis
Exornas folijs ducem,
Cum Victoria nobili
Plena puluere uenit.
Quamprimum hæc dea præpete
Penna fortia Romuli
Intrat mœnia, poneris
Tarpeij in gremio Iouis
Letæ nuncia pacis.
Quanquam & ipse Diespiter
Crebris fulminibus deum
Arces concutiat, tamen
Nullis ipsa tonitribus
Igni tacta corusco es.
Quis te laudibus efferat
Dignis laure ? nocentium
Tu purgamina sordibus

Affers, ueraq; cornea
Mittis somnia porta.
Te phœbeia sospitet
Latona, & cohibens leui
Arcu Cynthia belluas,
Te phœbus domino parem
Centum seruet in annos.

Finis.

M. Antonius Flaminius Alexandro Mazolo Patricio Bononiensi. S. P. D.

Mitto ad te Eclogā, q; supioribus diebus cum Mātua redirē Vrbinū, in itinere cōposui. In ea sub psona Thyrsidis grās ago Balthasari castalioni Prīcipi in oī uirtutū gñe cōsumatissimo, qui nos domo, fortunis, pr̄ia ob bellorꝝ incēdia eiectos in cōtuberniū accepit, & sua liberalitate nō parū subleuauit. sub psona Menalcæ Titū Cæsanum accipe municipē meū, qui & ipse ob eadē bellorꝝ īcōmoda cū iā diu extra pr̄iam errasset, hoc āno caprulis diē suū obijt. Erat titus iuuenis in omni litterarū gñe præclarus, lr̄is græcis æque ac latinis ībutus, natura uero ad res poeticas adeo excitata ut nihil esset, qđ ab eius ingenio spare nō posses. Testanť hoc eius epigrāmata, & elegiæ, īprimis aūt Adulescētia Herculis, q; tanta cū elegātia descripsit, ut cū oī antiqtate certare uideať, q̄uis opus in emēdatū reliqrit. Sed de Tito, hactenus. nam plura p̄lachrymis scribere nōpossum. Video.n.

Remp. lr̃ariã optio ciue orbatã esse, meq; ami/ cũ amisisse quẽ cæteris oĩbus aǹponebã. quod reliquũ est, illud a te peto, & si pateris, rogo, atq; oro, ut Eclogam meã qua soles diligẽtia p legas, & quicqd uel incuria, uel Adulescentia nr̃a cõmiserit, libere tollas, uel cõmutes, ita de/ niq; facias, ut quanq; in ea personæ rusticæ lo quuntur, tamen ab homine urbano facta fuisse uideatur. Vale, & me (ut soles) ama.

M. Antonij Flaminij Ecloga Thyrsis.

Menalcas Thyrsis

Forte super tenero proiectus gramine Thyrsis
Pascentes uario mulcebat carmine tauros
Et uirides pulchrã r̃sonabãt phyllida syluæ.
Cum tenues prima indutus lanugine malas
Affuit, & tristi sic cœpit uoce Menalcas.
Ip̃e qdẽ molli dũ captas frigus ĩ umbra, Me.
Et tenerũ fragili deducis arundine carmen,
Nos heu perpetuis obiecti fluctibus olim
Iactamur, uacuasq; errãdo ducimus horas.
Ex quo præruptis ueniẽs ex alpibus imber
Assidua lætas fœdauit grandine terras,
Quas inter placido percurrit Mesulus amne
Cæruleos densa prætextus arundine crines.
Nos quoq; diluuio ex illo rex oĩum egeni Th.
Fugimus, at diues paruo post tp̃e Mœris
Hospitio excepit grato, armentiq; magistrũ
Esse dedit, pastasq; ẽt numerare capellas.
Et nos Phyllis amat misere formosa puella:
Quæ satyros calãis, Phœbũq; lacessẽr uoce

Audeat, hāc multos neq̄q; arſiſſe per annos
Alconē fama eſt, cui quina armēta ꝑ herbas
Et bis qnq; greges altis in montibus errant.
Deſine plura puer, fuit & ſua cura Menalcæ,
Nūc ueneris flāmas, teneros nūc odit amores.
Nos equidem terras alio ſub ſole iacentes Th.
Ibimus, & libyæ ſteriles mutabimus agros,
Ipſa tñ dominæ profugum ſectetur imago,
Formoſamq; oēs reſonabunt Phyllida ſyluæ.
At mēini cū forte grauis cōtagia morbi Me.
Inuaſere tuas Bruma ueniente capellas,
Formoſam nullæ reſonabāt phyllida ſyluæ.
Te fœlix pleno circunſtat copia cornu,
Ah dolor ipſe famē dura uix glande repello.
Ergo ubi funereū ī cinerē pallētia mēbra Th.
Soluerit atra dies, ſtygiāq; i nabimus undā,
Siquis amicitiæ ſenſus tellure ſub ima eſt,
Inter fœlices animas, & ditia regna
Tunc etiam noſtrū cātabit fiſtula Mœrim.
Ille ſui pecoris curam mihi credidit, illi
(Qđ mirere) ēt multū mea carmina curæ,
Nam cū Caſſategi pratis corydonis ad ulmū
Lyctius alternis mecum certauit Amyntas,
Iudicio illius uictus mihi ceſſit Amyntas,
Depoſitumq; etiā mea fiſtula rettulit agnū.
Fortunate puer nimiū, tua ſi bōa noris, Me.
Hic inter gelidos fontes, & paſcua læta,
Et denſas corylos, ſacræq; examina quercus
Fœlicem uacuo traduces pectore uitam.
At nos per uarios caſus miſeranda ſequemur

Exilia, & toto fessi iactabimur orbe,
Nec dabitis finem crudelia fata laborum?
Nō semp gelidis effundit nubibus ibres **Th.**
Iuppiter, aut uasti feriūt caua littora fluctus
Semp, & iratis stridēt Aquilonibus auræ
Tu quoq; uesano finem sperare dolori
Aude hospes. forsan miseꝝ meliora sequent.
Alta prius certos reqescēt flumia cursus, **Me.**
Grataq; pascētes fugient uirgulta capellæ
Quā fortuna modū nostris imponere dānis
Annuat, inceptumq; uelit mutare tenorem.
Hoc nobis quōdā memini pdicere Mopsum,
Cū mea bis septem nondū ætas uiderat ānos.
O pecus, o dulces quondā mea cura capellæ
Et semp teneris uernantia floribus arua
Vos ego nō aliquo infelix post tpe uisam?
Inq; peregrina moriens tellure recondar?
O potius subito pigræ telluris hiatu
Deuorer, aut magno pro mūere solus ī altis
Exponar syluis numidarum præda leonum.
Huc ades o miserāde puer, iā uesp olipo **Th.**
Surgit, & alma dies primæ decedere nocti
Incipit, errantes herbosa ad flumina tauros
Ducā ego, mox saturos cogemus ouilibus a
Hic poteris, nrū post cœnā uiser mœri (gnos
Illius & uerbis aliquam sperare salutem.

FINIS.

¶ *Impressum Fani in ædibus Hieronymi Soncini. Idibus Septemb. M.D.XV.*